38

POMPONII BRVNELLI
IN SANCTVM AGAPITVM
MARTYREM PRAENESTINVM
ORATIO:

CVM MARCVS ANTONIVS COLVMNA S.R.E.
Cardinalis Epiſcopus Praeneſtinus eiuſdem ſancti martyris
caput, Praeneſti per ipſum recuperatum, in templo eidem
conſecrato, praeſentibus Iulio Caeſare & Martio Co
lumnis, eiuſdẽ ſancti feſto atque ſolẽni die XV.
Kal. Septembris, anno CIↃ IↃ
LXXXIX collocauit;

*ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.D. ASCANIO
COLVMNAE S. R. E. Diacono Cardinali, ac cele-
berrimo Principi dicata.*



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum.
CIↃ IↃ XCII.

ILL.^MO AC REVER.^MO D.
D. ASCANIO COLVMNAE S.R.E.
DIACONO CARDINALI AC PRINCIPI CLEMENTISSIMO
POMPONIVS BRVNELLVS S.P.D.

VIDEO me, Cardinalis ampliſſime, quaſi in ſomnis vocem contendere totis viribus nitentem: video haerere tamen fauces ac linguam, neque vel leuem aliquem exprimere ſonum me poſſe, re vera vigilantem. calamus haeret, verba deſunt, ſenſus abit, cum tantam rerum magnitudinem cernam mihi ob oculos poſitam, quam eloquentiſſimus quiſque pertimeſcat. Equidem cupio Agapiti adoleſcentis ſanctiſſimi, cuius virtus multorum virorum lumen obſcurauit: Tuam, hoc eſt eximij viri ſapientiam ſingularem; Marci Antonij Columnae celeberrimi Cardinalis pietatem ac maieſtatem complecti litteris; eaq; omnia non modo huius aetatis hominibus eſſe perſpecta, ſed etiam nota poſteritati. Verum fruetur Martyris clariſſimi tolerantia illa quidem aeuo ſempiterno, eóq; nos ſui exemplo conuocabit ac deducet. Cernent omnes in Te armatam illam, & omnium diſciplinarum nitore fulgentem ſimul, ac decoram Mineruam, quae bo-

nis praeſidium, terrorem improbis afferat; quae caeleſtibus proxima ſit, rebuſque adſit humanis; quae diuina ſimul & humana ſcrutetur atque perſpiciat; quae. ſuſcepto virtutis patrocinio ſummis omnium laudibus efferatur. Etenim in Te oculos ad virtutum tuarum ſplẽdorem contemplandum Vrbs tota iampridem coniecit, neque eos iam inde poteſt, quamuis earum fulgor perſtrinxerit aciem, retorquere: audit Italia tota libentiſsime, prædicari mirifice de Te, ac laudum tuarum magnitudinem ſuſpicit & admiratur: maximi reges ac Principes, propter animi Tui dotes egregias ac praeclaras, beneuolentiam erga ſe tuam excipiunt animo libentiſsimo, ac ſplendori Tuo eamdem ſibi optatiſimam & iucundiſsimam mutuo praeſtant: totus denique Chriſtianus orbis propugnatoris ſui ac patroni, Marci illius Antonij Columnae patris Tui, quem honoris cauſſa nomino, gratiſsimam in Te imaginem expreſſam eſſe in dies ſingulos maxime laetatur. Haerebit in viſceribus hominum perpetuo Marci Antonij Columnae Cardinalis pietas ſingularis, eamq. ſpectabunt omnes hac aetate, poſteri contemplabuntur, excipient anni conſequentes immortalitatis gloria perenni. Celebraui non multis ante annis, idque ſane vt potui, ſi minus vt debui, adoleſcentem praeſtantiſſimum de ſuis hoſtibus tenella aetate triumphantem, oratione ieiuna, ſi rei magnitudo ſpectetur, officioſa quidem certẽ, ſi meus animus non negligatur. Etenim eo tempore, quo Marcus Antonius Cardinalis, vir ad omnia ſumma natus, eiuſdem ſanctiſſimi adoleſcentis caput in illius patriam Praeneſte reſtituit, atque ornamentis ad dignita-

tem

tem ampliſſimis, monumentiſque ad conſeruationem pulcherrimis recondidit; rem tantam ipſe & fortiſſimi huius Chriſti militis, & Cardinalis tanti ſtudioſiſſimus non potui ſilentio praeterire. Et ſane quis virum illum non admiraretur tum temporis, auguſtiſsimum caput manibus ſuis, magno ſacerdotum, piorumq. hominum comitatu, in templum eidem inuictiſsimo Martyri dicatum, deferentem, rem diuinam deinde facientem, ac Iulium Caeſarem Columnam Praeneſtinorum Principem celeberrimum (à quo dum viueret, humanitatis, officij, liberalitatis, clementiae, conſtantiae, iudicij, pietatis petebant exempla ceteri vniuerſi; idemq. mortuus, cũ propter ſummam & rerum geſtarum & meritorum gloriam, maximum ſui apud omnes deſiderium reliquerit, in hominum ſingulorum animis perpetuo viuet) & Martium Columnam Zagaroli Ducem, Pompeij fratris filium, virum clariſsimum ac praeſtantiſsimum (cuius opibus, ingenijque praeſtantia Sedis Apoſtolicae imperijq. Romani ſalus praeſidiumq. niti noſtra aetate poſſit) Praeneſtinumq; populũ religioſiſsime alloquẽtẽ? Scripſi hanc orationẽ, neque tamẽ eam temporum illorum anguſtiis circumuentus habere potui. Iã vero de illa diuulganda cogitanti mihi diligentius, commodum occurriſti, Cardinalis ampliſsime, cuius illa nomine ſuffulta potiſsimum, in manus hominum lucemque prodiret. Etenim, quamuis hoc arrogare ſibi fortaſſe Marci Antonij Card. in ſanctũ iſtum adoleſcentem pietas animiq. propenſio ſingularis non immerito videatur; cũ tamẽ illa ſit per ſe maxime inflammata, duxi rem tantam perſpectam Tuae potius amplitudini eſſe debere, qui ob coniun-

coniunctionem, quae tibi cum Cardinali illo intercedit, nō mediocriter laetari poſsis; ac pueri aetatis ſuae nobiliſsimi, ac fortaſſe, vt quoſdam memini aſſeruiſſe, in familia Columnenſi olim florentis praeconia, merita, gloriā recognoſcere. Rem boni conſulas, oro, Princeps clementiſsime, multis nominibus, vt hilari fronte excipias animi mei ſenſum, ſancti Agapiti praeſtantiam ſuſpicias, Marci Antonij Cardinalis religioſiſsimi prudentiam, iudicium, pietatem admireris.

Vale.

V. Kal. Iunij CIↃ IↃ XCII.

POMPONII BRVNELLI IN SANCTVM AGAPITVM MARTYREM PRAENESTINVM

ORATIO.

SVMMIS laetitiis triumphiſq. caeleſtibus cumulatum nobis hodiernum hunc diem, Cardinalis Ampliſſ. ac Principes il'uſtriſſ. fortiſſimo Chriſti militi ac duci potius praeclariſſimo, ciuique veſtro, omni virtutum genere ornatiſsimo, ſacrum ac ſolennem veſtra praeſentia cohoneſtandum cenſuiſtis. Ex quo diuinum quoddam & prope ſingulare beneficium licet agnoſcere. Etenim cum ſuperioribus annis ſacram Paſtoris ſui purpuram Praeneſte admodum raro videret, iam certe videt, & videt immortalibus elata gaudiis, aſpectu ſuo animarum ſuarum gregem recreantem, atque haec loca quibuſdam quaſi facibus illuſtrantem. Etenim quis tantam illius animi magnitudinem in hoc potiſsimum templo exornando non admiretur ac diligat? Patere obſecro Praeneſte, a me in hoc primo orationis meae ingreſſu, quantum in primis Deo Optimo Maximo debeas declarari. Acceptis maximis cladibus, innumeriſque in te hoſtium incurſionibus factis, euerſa ac diruta ſaepius vrbe, iterum tamen iterumque erecta ac recreata reuixiſti: cuius ope & auxilio? quis tibi manum ad te excitandam porrexit? Vnus, vnus inquam, Agapitus filius ac ciuis tuus. Illum tu quondam Tyranni ſaeuiſsimi iuſſu amiſeras,

ſeras, adoleſcentiam primam vix ingreſſum, vt ſenectutis tuae viribus conſuleretur. Foemina quædam in Thracia, filium in fluuio Hebro obdurato glacie, ludentem amiſit, cum in aquas diffuſo amne ac dilapſo paulatim, vſque ad mentum ille obrueretur; caput tamen glaciei mucrone; quae ventorum impetu eſt illico iterum conſtipata, ſuper amnem abſciſſum mater eadem reperit. Quod ſi Thracia foemina in eam vocem prorupit: Hoc peperi flammis ac rogo, aquis vero reliquum corpus; Tu iure dicere poſſes: Hoc mihi ac perpetuae meae felicitati de filio meo caput, amiſsis reliquis partibus, conſeruaui. At ereptum è tuo complexu ac ſinu ornatiſsimum ac ſacroſanctum caput quo praeſidio recepiſti? Paſtore tuo Cardinali ampliſsimo auctore, qui à Sixto Quinto Pontifice Maximo tuas opes, tuos theſauros, tuam prope dixerim ſalutem impetrauit. Quamobrem omiſsis omnibus, quae ad tantam eximij, clariſsimique viri pietatem ac religionem tum declarandam tum amplificandam, poſſem ipſe balbutiens afferre; facile perſpici poteſt, quantum hoc nomine Deo Optimo Maximo debeatur. Equidem, cum hoc diligentius animo pertractarem, ſuſcepi onus animo libentiſsimo, vt ipſe primus aggrederer ad laudes auguſtiſsimi Martyris recolendas ac celebrandas, apud illum potiſſimum virum, cui tantum eiuſdem martyris nomine debeamus; vt planum fiat, vnius Dei ſtudio & amore, quanta ſibi Martyr oblata certamina ſuperarit, & quanti fieri debeat tam ardentis pietate adoleſcentis caput, Cardinalis religioſiſſimi ſtudio recuperatum. Iam vero quamuis dicendi onus ſuſcipere potuiſſet, qui eſſet in dicendo peritior, huc ta-

men

men ſtudio inflammato raptus ſum, vt omnes intelligāt, omni cultu tantum Martyrem eſſe proſequendum. Verum quid mihi praeſidij tantae rei capienti primordia comparem? vnde reformidantem animum confirmem? Neque enim me eum eſſe profitebor, cuius in tam lato campo excurrere poſſit oratio. In tantis igitur laudum præconiis efferendis, quo confugiam? Audendum eſt, dicat quiſpiam, & recte fortaſſe: at vereor ne ſi meis viribus fretus, velim montis ardui aſcenſuq. difficilis culmina aſcendere: quod olim Pompeio, idem hoc tempore mihi contigat. Is enim cùm Caeſare bello ſuſcepto, & copiarum ſuarum, ſpe maiori concepta, quam par erat, dixit iactitans, vt fit, in ſermone quibuſdam, qui fieri poſſet, vt Caeſarem illum vinceret ambigentibus, fore, vt vel pede a ſe Italiæ ſolo concuſſo, equitibus inde peditibusque emerſis, acies pro ſententia compleretur. At vero tandem animi magnitudinem diuerſus ab opinione exitus fefellit. Itaque nos, quibus dies Chriſtianae pietatis illuxit, ad res alia aggrediamur via, quando illis illa non ſucceſſit. Namque infinita Dei prouidentia eſt comparatum, vt inde peti poſſint remedia ſalutaria, vnde incommodum oboriatur. Dicendum eſt mihi de tanta integritate, conſtantia, fortitudine, in comtemnendis adhibita terroribus ac minis, non ad dignitatem aut famam violandam intentis, ſed ad maximos cruciatus, ad mortem per vim nefariam inferendā propoſitis, in ſuppliciis alacri promptoq. animo adeundis, in nefario conſceleratoq. impij tyranni imperio aſpernando, in acerbiſſima morte, ſed ipſi glorioſiſſima ſubeunda. Hac igitur moleſtia liberari diuina ope confido,

ſido, cum vel mutorum ora afflatu impulſuque diuino ſoluta quandoque ſint: ac linguas infantium faciat eſſe diſertas Deus: Tu ornamentum & flos non dicam Praeneſtis ſed Italiae, non Latij, ſed orbis terrarum lumen & columen tu gloriosiſſime, inquam, puer, velis, precor, tuis nos beneficiis cumulare. Vos oro, Principes religioſiſſimi, vt aures veſtrae in audiendo benignitatis, mea ſtudia prouehatis. Audite ac perſpicite, obſecro, egregia ciuis veſtri facinora, ſuſpicite res geſtas ab eo, qui puer adhuc ſibi coronam, palmam, triumphum comparauit; huic ciuitati trophaea, arcus, columnas, ampliſsima monumenta ad ſuorum in patriam beneficiorum memoriam ſempiternam erexit. Quod ſi quis illum quouis genere laudum vel ſuperiorem vel parem, ex omnibus ordinibus aetatibuſq. ſua memoria neminem intellexerit habuiſſe, dabit hanc mihi profecto veniam petenti, vt rerum quaedam capita modo attingam, cum mihi ſit breuitati temporis conſulendum. Quis enim, quamuis acerrimo ingenio, ſummaque dicendi copia, poſſit vel partem aliquam ampliſsimarum laudum recenſere. Verumtamen vobis, Auditores clariſſimi, ante oculos poni te praeſtantiſſimam illam Dei Opt. Max. bonitatem, quam cum eſſe infinitam in infinito diuinae ſapientiae ordine perſpiciamus, mirum eſſe nobis profecto non debet, in auito illo priſcae religionis cultu plurimos extitiſſe, qui Deum pro infinitis bonis ac rebus hominum commoditati tributis, ſummopere amandum eſſe cenſuerint, req. ipſa praeſtiterint. Reuocate vobis in mentem ſapientiam illam, quam olim in Deo colendo adhibuiſſe Abraamum, auguſtiſſimum illud ſummae pietatis,

 tis,

tis,religionis , obedientiae exemplar [illegible] te-
ſtantur, cum filium ſuum , quo nihil haberet vel carius
vel iucundius, Deo mactandum caeleſti nuncio iuſſuq.
accepiſſet . Quid tanto viro defuit ad ſummam animi
fortitudinem, ſapientiam, obedientiam declarandam ?
quo ore, quibus verbis, qua vultus ſimulatione, quibus
blanditijs filium alloquitur?qua conſtantia,qua diuinae
prouidentiae fiducia corroborat atque confirmat?
Quod ſi nullis affici perturbationibus ſapientis eſt ,
quem ne filij quidem ſuauiſſimi,in diuinis mandatis cu-
randis,tãgat interitus, ſapientiſsimus & ſit & habeatur ,
neceſſe eſt . Vere tamen hoc mihi videor eſſe dicturus,
Auditores; diuini amoris exemplũ nobis in Agapito re-
nouatũ, ac tamquã ſignum aliquod eſſe ſublatũ. Quem
eo nomine Deus voluit appellari potiſſimum,quo amo-
ris vis & beneuolentiae declaretur, ſi e Graeco in Lati-
num conuerſo nomine, pro Agapito carum, iucundum,
dilectum repoſueris. Hinc igitur intelligamus, quanta
futura eſſet illius animi ſpecies, ac maieſtas (mitto enim
oris corporiſq. formam,vt caducam &fluxam)cui ſit ab
amore nomen inuentum. At quo animi impetu & ar-
dore, qua alacritate, qua contentione ſibi res tanto no-
mine dignas gerendas putauit? Viderat ille non eſſe ſibi
tanto in ſe,diuino nutu,collato beneficio abutendum:vi-
derat nihil eſſe turpius homini, quam in amore non re-
ſpondere Deo, a quo optimis maximiſq. muneribus pro
uocere. Ergo cum amaretur a Deo integerrimus puer,
ab amando ſibi nomine deriuato, aetate iam in ſapien-
di exordijs cõſtituta; vbi iam ſe flagrantiſsimo in Deum
ſtudio eſſe debere intellexit, quos ſpiritus ſumpſit? quo

ardore totum ad diuina ſe contulit? O rem hominum mentibus examinandam, admirandam, imitandam: Quot ſubiuit in vno certamine certamina? quot conſecutus eſt in victoria vna victorias? Innumerabiles hoſtium non ſub aſpectum modo cadentium, ſed a corporis ſenſibus remotiſſimorum turmas fugauit, cohortes fudit, legiones diſiecit, exercitus acieſq, diſſipauit. O diuinae beneuolentiae flammam in ſancti pueri pectore excitatam: quid iam non aggreditur? quid ſuſtinere ſe poſſe non confidit? quid non contemnit, abijcit, aſper natur? quid non ſuperat, vincit, diruit, proſternit, euertit? Quo vero aſperiora, quo horribiliora monſtra proponuntur, eo inſurgit acrius, eo ſe ad pugnam comparat ardentius, eo vehementius excitatur. O bone igitur, ac fortiſsime gladiator, atque adeo miles, ac potius inuictiſſime imperator: tuis armis, tuis illis armis, hoc eſt virtutibus populum hunc, hunc, inquam, populum tuum protegas ac tueare. Quid igitur? quid, nequiſsimum ſcelus Aureliane, agis? quod tibi ſubis certamen? quam pugnam cenſes tibi pugnandam? quo praelio dimicandũ? Viciſti exteras gẽtes, pugnaſti cum potentiſſimis regibus; colonias, municipia, oppida, regiones partim cepiſti, partim ſolo aequatas ſale conſperſiſti: innumerabiles nationes in bello ſub iugũ miſiſti, efferatos immaneſq; populos debellaſti: num iã puer conturbat te? frangit impetus tuos? amentiam reprimit? ſpiritus coercet? quo te gladio inſequitur? quibus te armis oppugnat? an vi? an copijs? an pecunia? an comparata manu? an inſtructa acie? an munitione caſtrorum? an diuturna obſidione ac bello? immo vero conſtantia, taciturnitate, fortitudine, reli-

gior:.

gione.Comprehendis ſaeuiſsime tortor innocentem? ligas manus, quas tua cauſſa in caelum tendit? ducis, quo tua fert libido, inermem? at perſtat animus, mens immota tuis conatibus obſiſtit. Expugnare hanc arcem non facile tibi profectò ſit, quam nullo poſsis acceſſu inuadere. Caedis virgis immerentem? is vero ſilet, ac ne ſuſpirio quidem, ſibi incommodum aliquod ſignificat contigiſſe: tanta fuit, fortiſsime ſignifer, atque imperatoris nomine digniſsime, virtutum tuarum omnium magnitudo. O pueri, vel ſenis potius ſapientiſsimi (ſi quidem ſenex mature fieri voluit, vt in illo beatorum domicilio, perpetua puer gloria fulgeret) o pueri, inquam, patientiam ſingularem. Experiendo magis, quod dicam, quam audiendo nobis patet, Auditores. Etenim pueri, atque adeo natu iam grandiores, vbi quidpiam accidat praeter vel opinionem vel voluntatem, non tantum non ferre patienter, ſed ſummis etiam exagitari moleſtijs conſueuerunt. Vbi vel leuia ſe conſequi poſſe diffidunt, ardentibus incedunt oculis, inflato ore, huc illhuc momento temporis volitant, verborum fulmina eiaculantur. At quibus nos Chriſti martyres erudierunt exemplis? Quid Laurentius ille ſanctitate inſignis ſuis cruciatibus praecepit? Illum, opinor, tibi, adoleſcens ampliſſime, ante oculos ad imitandum propoſuiſti, cum in te crudeliſsimus tyrannus deſaeuiret; cum ab eo, quem virgis expreſſus fuſuſq. ſanguis ad lenitatem clementiamq. non flexit, in tetrum carcerem coniectus es; cum ibi fame, obſcuritate, odoris intolerabilis foeditate, conficeretur quidē mortale corpus, ſed animus ad ſempiterna gaudia incredibili ac ſuauiſsima laetitiae voluptate perfunderetur

deretur & excubaret. Etenim ille,ille inquam Deus, qui populum ſuum in aſperrima ſolitudine , rerum omnium difficultate laborantem , vitam ipſam aegre trahentem, ſpiritum vix de caelo ducentem, mirifico cibo olim potuq. pauit, ac difficultatibus omnibus exemit: qui viris innumerabilibus, tum ſapientia & ſanctitate inſignibus, tum gloria praeſtantiſsimis opem tulit; ille , inquam,illum iucundiſſime aluit & ſuſtentauit. Mitto,vt breuitati conſulam, quae in hanc ſententiam adferri poſſent, Auditores:mitto,inquam,tam multa,tamque praeclara, vt dubitare facile poſſim, vtrum vobis eorum iactura , an haec mea impolita oratio moleſtior futura ſit . Sed tamen contraham vela iam,& ad portum oratio, cum vix in altum euecta ſit , quaſi quadam veſtrae in audiendo patientiae voce reuocabitur. Vos tamen,quantum vobis debere me video,tantum oro,vt in his paucis,quae mihi reſtant, veſtram hanc in audiendo beneuolentiam conſeruatis. Ergo die quarto, nullo interim cibo potuque corpori dato, diuinitus tamen animo ſuſtentato, e carcere iuſſu imperatoris educitur viuus. Hoc vero immaniſſimam ac teterrimam belluam non mouet? At crudelius ſibi in puerum , angeli potius effigiem ſpirantem , quam hominis , inſurgendum ac ſaeuiendum eſſe arbitratur. Maxime vereor nefanda peſtis , immane monſtrum, venenum e terrae cauernis hiatibuſq. inferorum ſupplicia exhalatibus emerſum, Hydra virus acerbiſſimum ac multiplex in omnes partes euomens, improbiſſime , inquam , Aureliane vereor, ne iam impuritatis tuae foetoriſque grauitate, vel caelum iterum hoc noſtrum ſaluberrimum, quamuis ab inferis, quamuis in

aeternis

aeternis ſupplicijs collocatus, quamuis combuſtus, ſemperque comburendus, contagione peſtifera contamines atque corrumpas? Verum idem ille Deus, qui te illhuc detruſit, vnde non datur exitus, tuas vires nefarias labefactauit, vt omnibus nobis apertum eſſet, quo modo ijſdem ipſis inſidiis, quas religioni Chriſtianae vel omnes inferae poteſtates conentur opponere, intercludantur. Iam vero combureris ipſe nunc miſer, miſer iterum atque iterum, qui Agapiti caput ſemiuſtulatum carbonibus ſpectare potuiſti, cum interea Agapitus diuini amoris incendio conflagraret; atque adeo non carbonibus, ſed carbunculis, ac precioſiſſimis gemmis, diuina coronari manu videretur. Sic ~~Diocletiano~~ quondam Laurentius ille ſemiuſtum ſe obtulit exedendum, vt Diocletiani cadauer cum magna vi quidem odoramentorum, Romano more, ad depellendum nefariorum ſcelerum dedecus & foetorem, in flammas conijceretur: animus vero, cuius impulſu ac ductu ab improbi & impuri corporis membris nullum flagitium vmquam abfuit, perpetuo concremaretur. Suſtineant aures veſtrae, Auditores, atrocitatē nefariam, hominis dicam, an belluae teterrimae. Quoniam fractum ſe, deluſum, abiectum, contemptum videt ignauiſſimus tyrannus, grauiora furor eius molitur & parat. Equidem mihi illum immani quodam oris, & oculorum ardore, ignitis faucibus ſic vociferantem videor audire. Quoniam permanet in ſententia, quoniam noſtram potentiam negligit, quoniam noſtra numina aſpernatur, quoniam Chriſti ſui religionem minime ſibi abijciendam putat: colliga iterum lictor, manus, capite virgas tortores validiſſimi, mem-

Valeriano

bra

bra ſtultiſſimi pueri acerrime diuerberate, diuerberate, inquam, aſperrime vſque ad necem. O rem non modo viſu acerbam, ſed etiam auditu. Quando ea ratione nihil ſe intelligit profeciſſe, eumque videt conſtantius, obfirmantiuſq. in ſuſcepto conſilio permanere, nudatis membris, ſuſpendi pedibus iubet: iamque pendet illud in terram caput, cuius tanta vis nuper fuerat, ac potius erat, nulla mora intermiſſa, in diuinis laudibus celebrandis. Quid enim obſecro, Auditores, opinamini puerum hunc habuiſſe in carcere illo ſolatij, cum tetra nocte premeretur? haec illi iucundiſsimae lucis vſura: cum tam tenera aetate humi cubaret, ac potius genibus constratus oraret? haec illi aulaea praeclara, ſtragulae veſtis, aedium, cubiculi, lecti affabre ac ſolerter compoſiti voluptas ſomniq. anſa: cum nullius hominis aſpectu vel ſermone recrearetur? haec illi gratior erat quauis conſuetudine ſolitudo: cum ad corporis vires tuendas cibus tamdiu nullus praeberetur? haec illi auri & argenti vis maxima, ludorum talarium, menſarum inſignium, precioſorum ciborum, ſummo artificio confectorũ magna varietas ac multitudo. In diuina laude totus erat; in ea corpus tutum, animumque ſanctum reddebat; in ea non omnia modo orbis terrarum commoda ac delicias reperiebat, ſed ipſo Deo eiuſque gloria quodam modo ſuauiſsime fruebatur. In tumultibus nefariorum hominum, in ardentiſſimis tyranni vocibus, in tormentis inauditis, in morte denique ipſa vna vox, vnus animi ſenſus ex eius ore, pectore, viſceribus erumpebat; cum tribus pueris Hebraeis illis, ſaeuitia Babilonica celeberrimis cuperet adſcribi quartus, in ignita illa diuini

aeſtus

aeſtus fornace; erumpebat, inquam, haec vox: Benedicat orbis terrarum Deo meo altiſſimo: benedicat ſpiritus meus creatori ſuo cum omnibus ſanctis ſuis; qui mihi cruciatus facit eſſe flores iucundiſſimos ac laetiſſimos, qui mihi pro morte huiuſce vitae morientis, morte carentem vitam, gloriamq. ſuam, ac ſe ipſum praebebit. Quod vero praemium tantae virtuti ſtatuis ac paras tyranne? at verum praemium illi, verus triumphus, vera corona vnus eſt trinuſque Deus. Excitatur imperatoris iuſſu, vel ſaeuiſſimae tigris, vt verius dicam, e ſubiectis ignibus fumus, vt illud os, quod tyranno nefario videbatur in diuina laude nimium, obruatur. Scilicet, cum plurimos aquis ſummergi vidiſſet, id quod nũquam fortaſſe viderat, fieri per ſe facillime poſſe ſperauit, vt voluptatis fructum non minimum reportaret. Iam vero pro voluptate perturbationem maximam referes, qui adoleſcentem, huiuſmodi rerum imperitum, Deo addictum, ſcelus omne deteſtantem, ac vel minimum vitium velis remiſque fugientem, fumo immergi poſſe arbitraris, vel de ſua ſententia deturbari. Quid? cernis illum non igne, fumum vaporante, permoueri? At ipſe tantis ſpectaculis non moueris. Iterũ ira ac furore, iterum varia & efferata perturbatione pectus illud tuum ſtultiſſimum, impuriſſimum verius & improbiſſimum concitatur. Iam in ſcopulos, in ſaxa, in Syrtes, in Scyllas, Carybdeſq. offendiſti: iam maris aeſtuãtis ac procelloſi fluctibus iactaris, iã ad varia littora toto corpore, totoque ánimo illideris, ac petrarum pateris aſperitatem. O ſtultitiam non ferendam: quid iam aeſtuas amplius? Cuius caput ignis nec ardor incendere, nec fu-

mus obruere potuit; illius ventrem effuſae aquae, quamuis ignitae, quamuis feruentes offendent? at guſtabit ille potius aquas iſtas, qui Tantali ſiti tamen careat, aquis iſtis feruentiſſimis pro lauacris quibuſdam flagrantiſſimis ac ſuauiſſimis vſurus, Quo tua illa prudentia, qua tot bella geſsiſti, tot victorias reportaſti? tot leges condidiſti? quo abijt illa vis ac fortitudo, ſi inermis pueri viribus tuus animus ſuperatur? At maxillas, quas flamma non laeſerat, confringi iubes. Hoc tibi iam nullo temporis interuallo in maxillis tuis contingere putemus, qui, tamquã vaſtiſsimus quidam gurges, omnia tibi ſumpſeris deuoranda. Quid tum? An ad ſanitatem te iudicis e tribunali delapſi improuiſus interitus reuocauit? At in interitu permanes iam ipſe perpetuo, ac ſempiterno, cum nunquam tamen intereas totus, ſed mortem reuiſcentem, vitamque morientem viciſsim intolerandis ſupplicijs experiaris. Hoc debebatur inuentum inuentis tuis. Heu quam iacturam non vrbium, prouinciarum, militum, municipiorum, dignitatis, amplitudinis; ſed vitae ſempiternae cum ſummo bono gloriaq. coniunctae faciendam putaſti? Ardere ne tibi animum iracundia, cum iudicis morte monitus, tantae rei magnitudinem, quae tibi ſalutem afferat, non perſpicis, non attendis? Proh ſcelus, proh dolor. Obijciatur, inquit, in ſpectaculis leonibus, vrſis, canibus dilaniandus. En vobis alter Daniel, Auditores. Ceſſerunt vero Agapiti religioni ſenſu carentia elementa, atque adeo iucunditatem animo ſingularem ac diuinam praebuerunt; ferae, quas fecit ſenſus natura participes, quibus ſingulis ſingulae, quandoque plures intelligendi ſpecies quaſdam adum-

bratas

bratas ineſſe vel priſci philoſophi confirmarũt, cur procreatorem ſuum in Agapito non agnoſcant, non vereãtur, non timeant? Ita nimirum ferae immaniſsimae nullis blandimentis, nullis vocibus, nullo attractu adduci poſſunt, vt ſacratiſsimum corpus attingãt. quin etiam cicures repente effectæ, Agapito demittere ſe, blandirique non deſinunt: tanta erat in ijs veneratio erga diuinam virtutem, quae in ſanctiſsimo puero elucebat. Ergo incolumis educitur feliciſsimus martyr, id eſt diuinae gloriae teſtis locupletiſſimus. Pauca iam omnino, Auditores, pauca dicenda ſunt, ſed eiuſmodi, quae cuiuſuis animum facile poſsint ad caritatem amoremq. diuinum inflammare. dum breuiter ea perſtringo, peto a vobis, ne benignae mihi attentaeq. aures denegentur. Vbi nouam tandem nequit excarnificinam aduerſariorum inuidia reperire: vbi victa cogitur manus dare, dum necem ſe putat Agapito inferre poſſe, Agapitum victoriae, praeconiorum, triumphi, coronae, id eſt veri ac ſummi boni, aeternaeque beatitudinis facit vel inuitus ac neſciens, eſſe participem. Exultat animus mortali corpore, vbi gladio caput amputatur, vt Dei conſpectu iucundiſſimo in ampliſſima luce perfruatur. Verum quis, ante gratum illum iucundumq. interitum, expreſſerit animi ſenſa, quae in huius pueri ſapientiſſimi pectore incluſa penitus atque abdita latebant? quis verba, quae ſecum ipſe in diuino conſpectu habuit, patefecerit? quis laetitiam illam eius animo iam conceptam excogitarit? Fingite animis, id quod re ipſa profecto contigit, vt opinor. Vbi ſe corpore compoſuit non ad necem, ſed ad vitam ſempiternam, haec ab illo co-

 gitatione

gitatione iucundiſſima, animoq. agitabantur. En tandem currum e carceribus ad calcem duxit auriga;ne patiaris ſumme rerum opifex, a calce iterum ad carceres reuocari. Iam labore defunctus ſum, iam tua mihi, Chriſte,crux quibuſuis delicijs antiquior fuit: quid iam perpeſſo ac perfuncto mihi omnia,quae mandaſti, reliquum eſt? Explorandus iam mihi, comparata victoria, triumphus, ac trophaea longo varioque rerum ordine recenſenda: ne me iterum ad bella, ad clades voces, mihi mors vita eſt, & vita iucundiſsima: haec breuiſsima mors me tibi viuum perpetuo reddet. Ergo ſecuri feriuntur tenuiſsimae ac nitidiſsimae ceruices,vt abſciſſo capite animus, diuina manu conformatus in altiſſimas illas ſedes, ac feliciſsima domicilia euolaret. Tibi,Preneſte, glorioſiſſimus Martyr tuus ſuũ erga Deum amorem,tanquam patriae iucundiſsimae & cariſsimae teſtatũ relinqui voluit, vt te, imitatione ſui, ad mortem alacriter,vbi res ferat, pro Chriſti religione ſubeundam hortaretur,impelleret, incitaret. Tibi Praeneſte, caput illud,enſe tyrannico a Martyris buſto abſciſſum,bona plurima olim peperit,mœnibus incluſum tuis, dum illi grata eras,dum pietatem ſectabaris & colebas, dum remoto bellorum impetu, pacem conſeruabas.Eiuſdem modo capitis praeſentia,quam habes,Epiſcopi Praeneſtini beneficio in te ſingulari, dum religioni ſtudebis, dum pax tibi optata ac tranquilla curae erit, dum omnium ciuium animi de tuenda ciuitate,de priuatis inimicitijs deponendis, de Principibus obſeruandis, de colendo Deo Optimo Maximo recte ſentient, priſtina beneficia multis partibus cumulabuntur. Tibi Prae-

neſte,

neſte, caput illud, temporum iniuriis ac belli Marte calamitoſo, ciuibus tuis ereptum, Marcus Antonius Cardinalis ampliſsimus, ac toto terrarum orbe celeberrimus, quae illius fuit in Agapitum religio, & in te caritas, ac veri munificiq. paſtoris beneficium ſingulare, reſtituendum curauit; tibique illud pulcherrimis auri argentiq, ornamentis ac monumentis adhibitis donauit, vt a tuo alumno ac filio, eius capitis nomine, facilius conſerueris; vtque Agapito ac Deo Opt. Max. paſtorē tuum tāti beneficij memor, aſsiduis precibus, commendes. Quare iam tuta ac laeta degere potes, vbi clades animorum deuitaueris, cum videas nullum iam locum eſſe relictum funeſtiſsimo praeſidi Inferorum, quo, ſi modo velis, tua felicitas eripiatur. Quamobrem quam Agapito noſti gloriam contigiſſe, eam tu ipſa profecto, imitatione Agapiti, cōſequeris. Quod enim certamen iā capitali ac perpetuo humani generis hoſti in Agapitum relictum vides? num illum in caelum tendentem per nefarium & improbiſsimum imperatorem inſequi poteſt? num tu illius patria ſacroſancto capite diutius orbata vt eſſes, efficere? Excipitur auguſtiſsimum & ornatiſsimum caput Paſtoris tui manibus religioſiſsimis, atque in inſigni & excelſa ara illa tua, ſumma omnium laetitia plauſuq. reponitur. Excipitur hodierna die iterum atque iterum, Angelorum concentu & comitatu ampliſsimo illius animi virtus, cui iā iam renouātur triumphi, duplicantur coronae, gloria amplificatur, quod ea aetate, qua caeteri fere ad res ludicras & leues incumbunt, humano luxu abiecto, inani gloria deſpecta, huius lucis vſura relicta, in vera omnium bo-

norum

norum copia voluit collocari. Hac diuinus ille aetate quondam Ioannes, qui Iordane fluuio ſacroſanctū Chriſti caput aſperſit, ſeſe in remotiſsimas ſolitudines abdidit; celebritates, commercia, ſodalitates neglexit, vt commodius domino ſuo poſſet rectas ſemitas praeparare. Hic vero ipſo aetatis flore, annum decimum quintum agens, ſenectutis virtutes adeptus e turpi harum omnium miſeriarum coeno, ex hac mortali terrarum colluuione emerſit, ad celeberrima beatorum concilia, ad diuinitatem ipſam perpetuo perfruendam. Nos miſeros, quibus in hac rerum caligine verſantibus ad tanta bona penitus animos tollere in hac vita non licet. At licet omni criminum labe expiata, diuina myſteria colentibus, diuinorum ac perennium beneficiorumin exitu vitae fieri, pro recte factorum ratione, Deo bene iuuante, participes. Quod ſi boni tantum in morte oritur, vt eius timor apud eos non mediocriter temperetur, qui acriori quodam pietatis ſtudio, ſanctorū ſibi hominū veſtigijs per Chriſti mortem atque doctrinam inſiſtendum putarunt; reliquum eſt, vt ita viuendum nobis cenſeamus, vt per ſanctorum exempla, quo ipſi peruenerint, eodem nobis aditus aperiatur. Quamobrem hac ratione, Praeneſte, potiſsimum poteris beneficiorum tantorum nomine, quae debes, gratiam aliquam ciui tuo referre; qui te ad conterendas aduerſariorum inſidias informauit, ad Chriſti fidem inſtituit, ad ſpem futurae vitae, gloriae, immortalitatis erexit. Hunc egretamgium nobis, tam ſpectatum, tam glorioſum, tam admirandum Chriſti Martyrem ante oculos collocemus: per illum nos totos Deo Optimo Maximo commendemus. Is

enim